



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Animae Illvstres Ivliae Cliviae Montivm Marchiae
Ravenspurgi Morsae Annexarvmqve Provinciarvm E
Monvmentis Calamo R. P. Theodori Rhay. Societatis Iesv
Redivivae**

Rhay, Theodor

Neobvrgi Ad Danvbium, 1663

V.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10835

in AVLÂ, exponuntur variæ Sanctorum INNOCENTVM *Reliquia*, thecâ aureâ, cryftallo pellucidâ impositæ, *Inventus & Ecclesie primi Martyrum Flores. Ex Aula sacrario.*

V.

IN Agro IULIACENSI, beatorum laborum suorum finem invenit S. GERLACVS FALKENBERGIVS amplissimâ fortunâ, bellicâque gloriâ præstans, qui partæ Salutis anno M. CLXXV. IULIACVM ad Equestres ludos abiens, nobilissimæ suæ sponsæ, ipso itinere, insperato mortis accepto nuntio, ita percussus fuit, ut è vestigio hastiludijs neglectis, magnâque pecuniæ vi, per religiosas familias, pauperes, templâque sparsâ, *peregrino schemate Romam, Ierosolymâque Dei, Divorumque* causâ adierit, septem annis, ignotus pauperibus ministrando. Ad Suos in IULIAM rediit, ut omnino *Sponsæ suæ fato* cautior factus, ludentem mortem mundumque luderet, rerum mortalium umbris abdicatis, in eremum ad cælestis vitæ meditationem, & pias latebras se contulit, eximie virtutis vir, quique singulari cibi parsimoniâ, assiduâ oratione, diuturnis vigilijs, veste fetis horridâ, vitæque incredibili

rigore non modò IULIAM, sed viciniam etiam omnem in admirationem rapuit. Merita illius B. HILDEGARDI NVMEN aperuit, quando selam maximi splendoris eius virtutibus præparatam, in cælo spectabilem habuit. E vivis ut excessit ad GELDRIÆ & IULIÆ confinia, in oppido GERLACH sepulchrum reperit. Multis miraculis hodie dum illustre. *Neque unquam Orbi tam notus GERLACVS fuisse futurus, nisi tam ignotus vixisset.* Valentinus Leuchtius, D. Molanus, P. Canisius in Martyrologio.

VI.

NEOBVRGI habuit melioris vitæ natales S. HILARIUS è Pannonia Episcopus, Vir & eloquentiæ, & virtutis præstantis, S. HENRICI eius nominis *secundi*, Cancellarius, qui fauente Diuâ KVNIGVNDE PALATINA HENRICVM IMPERATOREM permouit, ut Monasteriũ Monialiũ generis nobilitate & virtute conspicuarum DANVBIO NEOBVRGI imponeret. Et cum omnia vnus (ut Imperatoris Cancellarius) administraret, strenuus iustitiæ, viduarum, & pupillorum Tutor Patérque exstitit. Ad extremum gazas suas omnes vel in pauperum usus, vel ad templorum adyta, piâ prodi-